

*Na. 32.*



EPISTOLA

AD

VIRVM EXPERIENTISSIMVM

ATQVE DOCTISSIMVM

GOTTHELF LEBERECHE  
WOCKAZ

QVA

SVMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

COLLEGIVM DISPVTORIVM

SVB PRAESIDIO

VIRI CLARISSIMI

IOANNIS CAROLI ZEVNE

BONARVM ARTIVM MAGISTRI

GRATVLATVR

INTERPRETE

MICHAELE CHRISTIANO IVSTO ESCHENBACH

ARTIS MEDICAE CVLTORE

---

*De Celfo non Medico Practico differitur.*

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

EPISTOLA

VIVVM EXPERIENTIAM

ATQVE DOCTRINAM

COLLEGIUM LIBERALE

W O C K A S

SVMMVS IN ARTE SVAVARI HONORVS

COLLEGIUM DISTICTVS

SVAVARIA

IOHANNES GREGORIUS

SVAVARIENSIS

FRANCOFURTI

IN OFFICINA

MDCCCLXXX

IN SVAVARIA



V I R O  
E X P E R I E N T I S S I M O  
G O T T H E L F L E B E R E C H T  
W O C K A Z

S V I S C O L L E G A R V M Q V E V E R B I S

S. D. P.

M I C H A E L I S C H R I S T I A N V S I V S T V S  
E S C H E N B A C H

**S**i verum est, quod et auctoritate summorum philosophorum comprobatur, et suus quemque usus docet, amicum verum esse optimam et pulcherrimam quasi vitae suppellectilem: sane in amicis et comparandis et servandis colendisque omnis adhibenda est cura et diligentia, ne quis amicitia, dono, quod a Deo hominibus est concessum, longe praestantissimo, indignus reperiatur. Igitur nullum tempus est praetermittendum, quo, si non re, at certe sensu et verbis significes, quanti aestimes colasque amicum. Quare in praesenti vix quicquam optatius acceptiusque mihi potuisse contingere videtur, quam ut **TIBI**, **VIR DOCTISSIME**, honores in arte Medica summos gratulandi munus ab Amicorum Collegio mihi mandaretur. Namque quod ultro cupiebam, id voluntas amicorum effecit, ut esset officium, idque longe gratissimum, gratulandi **TIBI**. Fides enim **TVA** in amicis colendis, et studium

A 2

dium

dium acerrimum in discendis litteris artibusque praestantissimis satis effecerunt, vt, meis Amicorumque verbis, et auide cuperem et recte possem gratulari TIBI honores illos. Nam fidem et constantiam in seruandis promissis, modestiam in reprehendis aliorum erroribus, comitatem et singularem humanitatem in sermonibus et confabulationibus, liberalitatem quandam consilio et re in aliis adiuuandis et subleuandis, caeterasque, quae verae amicitiae naturam absoluere existimantur, virtutes in TE per spatium temporis, quod coniunctim TE cum viximus, eas esse cognouimus. vt TVAM amicitiam comparare operae pretium esse iudicaremus omnes, et, vt Deus TE TVA que incepta fortunaret omnia, faceremus vota. Quapropter de honoribus, quos in TE hodie ab Ordinis Medici Patribus collatos esse videmus, vere et vehementer laetamur, praesertim cum recte collatos esse iudicemus. Etenim quantum semper in TE bonarum salutariumque artium studium amorque fuerit, neminem esse qui neget, putamus. Sane satis TVA industria et institutis ostendisti, TE sequi clarissimos in Arte Medica viros, qui litteras humanitatis non minus ad vsum Artis Medicae ac fructum, quam ad decus, et animi oblectationem mirifice valere, existimarunt. Quantam porro curam et industriam adhibueris in cognoscendis tractandisque disciplinis, quae proprie ad Medicum pertinent, inter omnes satis constat. Quaecunque in scholis Medicorum de natura, conditione corporis humani eiusque valetudine vtraque traduntur, quae de vsu medicamentorum eorumque compositione et natura, de morbis vitiisque corporis curandis tollendisque docentur, eorum nihil a TVO consilio et studio alienum putasti.

Quos

Quos fructus vero inde tuleris, non est quod his litteris praedicem, ne modestiae, quam sane magnam in TE esse cognoui, diffidere videar, praesertim cum Venerabilis Medicorum Ordo hodie satis publice declarauerit, quanti TVA, VIR EXPERIENTISSIME, virtus et doctrina ab omnibus esset facienda. Quod Virorum gravissimorum iudicium vt verissimum comprobamus, ita etiam certissime speramus, fore, vt in salutem quam plurimorum et commoda cedat.

Verum vt praeter gratulandi rationem, quae fortassis nimis vulgaris esse videatur, haberes, quod magis placeret: dissertatiunculam de eiusmodi argumento adiungendam putavi, quod et cum studio nostro communi aliquo modo conueniret, et TIBI haud inincundum esset. Sane non diu in eligendo argumento haesitavi. Nam Cornelius Celsus mihi statim satis dignus videbatur, de quo pauca scriberem, quia TE lectione eius semper oblectari intellexi. Quae sententia nuper a TE ad disceptandum proposita thesi *de Celfo compilatore* mihi est confirmata. Ita enim docte disseruisti, vt facile intelligerem, TE et indolem auctoris nostri elegantissimi recte percepisse, et in sermonis elegantia eum ad imitandum TIBI proposuisse.

Etsi non sum is, qui negem, Celsi libros ob praestantiam praeceptorum, ordinem rerum, elegantiam sermonis, breuitatem in dicendo cum maxima perspicuitate coniunctam, ob proprietatem verborum, et mirificam varietatem, ab omnibus cum humaniorum litterarum studiosis, tum artis salutaris cupidis diligentissime et assidue esse legendos relegendosque: non tamen possum sequi auctoritatem nonnullorum e recentioribus, qui vel ob vir-

## VI

tutes illas, vel alias ob causas Celsum ipsum medicinam professum esse aut fecisse contendunt. Namque illum compilatorem fere fuisse, nec ipsum morbos inspexisse et tractasse, cum ex ipsis libris, tum ex vitae genere, quod secutus est, atque testimoniis veterum clarum fieri videtur, praesertim cum aduersariorum obiectiones, de quibus infra videbimus, non tam firmas sint, ut nostram sententiam refellant. Si Celsus vsu et experientia, vel naturam morbosque, vel vim medicamentorum curationisque efficaciam in singulis morbis cognouisset: non adest satis idonea causa, quare nunquam praeceptum vltimum suo ipsius experimento comprobet, cum tamen, vbi vel forte dissensum auctorum in aliqua re esse viderat, eos, quorum auctoritatem potissimum hoc in genere sequatur, nominet, vel vbi omnino nihil apud aliquem scriptum inueniat, ipsorum agrestium rationem vsuque commemoret. Sic saepenumero Hippocratis, Megetis, Aesclepiadis, Heraclidis Tarentini, aliorumque medicorum ac chirurgorum mentionem facit, ut, pag. 310. lin. 25. edit. Almel. vbi acetum efficacissimum remedium aduersus icterum aspidis esse probat vsu, non suo ipsius, sed alieno. Nam addit, *quod demonstrasse dicitur casus cuiusdam pueri, qui cum etc.* conf. pag. 248, lin. 28. p. 254, l. 5. p. 393, l. 5. p. 426, l. 16. p. 555, l. 24. vbi haud dubie fatetur, se ex aliis praecepta, quae tradat, compilasse, dicitans subinde, *Medici docent, a Medicis accepi, omnia, quae salutaria accepi, comprehendo, dicitur, plerique scripserunt*, ut omittamus alia loca sexcenta, vbi auctoritatem Medicorum affert. Quod si igitur quis, in compilandis praeceptis tam diligens reperitur, ut ne rusticorum quidem vsu et traditionem negligat, uti a Celso factitatum esse constat, p. 210, l. 16.



p. 324, l. 16. p. 383, l. 10. is sane non prorsus suam ipsius experientiam, si qua ei fuerit, videtur omisisse. Praesertim cum Hippocratem, cuius auctoritas magna apud Celsum fuit, et quem in caeteris rebus tam diligenter secutus est, ut ipse fatetur initio libri secundi, non semel vel cognitionem alicuius morbi, vel vim usumque medicamentorum, et rationem curationis suo usu et experimento comprobasse satis constet.

Esti a veteribus non traditum est, quod vitae genus et institutum noster secutus sit Celsus: ex multitudine tamen et varietate librorum, quos propemodum de universo doctrinae antiquae corpore reliquit, colligi potest, ei neque animum neque otium fuisse aegrotos inspiciendi, morbosque curandi. Nam praeter octo libros, qui de arte Medica ad nostram usque aetatem pervenerunt, idem, auctore Quintiliano X, 1. scripsit non parum multa (de Philosophia) Scepticos secutus, non sine cultu ac nitore. Eundem etiam totum corpus disciplinae de agricultura quinque libris complexum esse, tradit Columella I, 1. de arte dicendi scripsisse Quintilianus testatur, qui passim eius Institutiones oratorias laudat, v. c. IX, 1. 2. VII, 1. 2. VIII, 3. etc. Celsum de aliis quoque disciplinis scripsisse, patet e loco classico Quintiliani XII, 11. qui postquam laudavit Catonis Censorii amplam doctrinam, Varronis industriam, Ciceronisque ingenium diuinum, cui nullum instrumentum dicendi defuerit, addit, *Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, (nimirum si cum ingenio plane diuino Ciceronis aut aliorum comparaueris,) non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit, dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.*

Igi-

## VIII

Igitur si quis ex eo, quod Celsus de Medicina scripserit, colligeret, ab eo quoque eam artem esse exercitam, sequeretur, ut idem quoque militum Dux, Philosophiae Doctor, Eloquentiae Professor, villarum reique rusticae Praefectus, causarumque Patronus (Nam de iure quoque libros reliquisse Celsum colligi videtur ex Quintilian. l. c.) simul extiterit propterea, quod de his omnibus artibus scribere aggressus est. Eum vero imprimis operam dedisse eloquentiae, intelligitur non modo ex genere dicendi, quo usus est, sed etiam ex auctoritate Quintilian, qui illum imprimis ut Rhetorem laudat, eiusque praecepta de arte dicendi passim affert. Igitur cum Celsus, subsidiis eloquentiae instructus, omnes artes complecti litterisque latinis illustrare sustineret: nec salutarem artem a suo studio alienam duxit, quam ultimo loco scriptam esse, cum ex Quintilian. l. c. probabile fieri videtur, ubi medicinae praecepta ultimo loco commemorantur, tum ex aliquo Celsi loco ipsius, ubi Artium. de quibus scripserit, mentionem facit. Denique quare Celsum medicinam fecisse, negemus, monet auctoritas veterum, Columellae, Quintilian. Plinii aliorumque, qui eum ad scriptores quidem, at nunquam ad Medicinae professores referunt. Nam Plinius ne in illo celeberrimo loco quidem XXIX, 1. Celsi ut Medici mentionem facit, ubi et de origine Medicinae et Medicis Romanis, qui quidem Romae medicinam fecerint, disserit. Certe sagacitatem Plinii et diligentiam hic non effugisset Celsus Romanus, si eum Medicinae professorem cognouisset, cum et alibi eius meminere, tanquam scriptoris de usu hibernici radicis ex vino coctae in articulorum doloribus, XX, 4. cf. Celsus p. 238, l. 27. de appellatione herbae Perdicii, XXI, 30. cf. Cels. p. 109,

p. 109, l. 16. de nomine Solani XXVII, 13. cf. Cels. p. 109, l. 21. it: Scriptoris de re rustica, v. c. de natura gallinarum X, 53. de natura alicuius vini XIV, 2. Verum ne veterum silentio tantum, quod argumenti genus nimis lubricum et incertum esse nonnullis videtur, nostram tueamur sententiam, eiusdem Plinii liber primus, vbi elenchi librorum nominaque auctorum, e quibus historia naturalis potissimum sit hausta, continentur, magnam vim pondusque nostrae rationi addit. Namque in elenchis librorum XX – XXIX, vbi *Auctores* semper distinguuntur a *Medicis*, noster Celsus vbique in numero Auctorum ponitur. Quodsi igitur hi elenchi a manu Plinii sunt, quos inde profectos esse, nos nullo modo dubitare sinit eius praefatio ad Imperatorem Vespasianum: profecto nostra sententia in dubium vocari non potest, nisi quis omnem fidem historicam sublatam esse velit. Praeterea idem locus Quinctiliani, quem paullo ante laudauimus, aliquid momenti fidei Pliniana addere videtur. Etenim primum e Celsi libris praecepta Medicinae vltimum locum obtinent, quae si ab homine vsu et professione Medico scripta putasset Quinctilianus, primo loco ea posuisse videtur. Deinde verba, *dignus Celso vel ipso proposito, vt eum scisse omnia illa credamus*, haud obscure significare videntur, de scientia Celsi dubitasse Quinctilianum, quod fas non fuisset, si Celsum vsu comprobasse intellexisset cognitionem artis Medicae, quam tam egregie scriptis illustrauerit.

Notamus hic ad nostram sententiam stabiliendam, quod quibusdam forte primo loco ponendum esse videatur, vt argumento ab erroribus Celsi petito, quos nonnulli e recentioribus (nam veteres in nostrum non tam

B

sunt

sunt iniurii) passim in eius libris deprehendere se putarunt, vbi vel loca Hippocratis male sit interpretatus, vel omnino a vero in praecipiendo aberrauerit. Nam praeterquam quod alia vitia a culpa librariorum profecta sunt, quae diligente codicum inspectione et veterum Medicorum comparatione sunt tollenda, alia, recte explicatis Hippocratis locis, facile euanescent; nec vllam omnino vim hoc in genere illud argumentum habere existimandum est. Nam semper fuerunt, et fortasse nostra quoque aetate reperiuntur, qui, naturae bonitate fortunaeque temeritate magis, an consilii ratione, nescio, satis probabiliter in morbis vitiisque corporis sanandis versentur, etiam si, praeter communia quaedam praecepta formulasque teneant nihil, nec primum quidem Hippocratis aphorismum recte explicare possint.

Propositis, quae ad nostram causam confirmandam pertinent, argumentis, restat, vt breuiter de aduersariorum obiectionibus videamus. Quod, fieri potuisse, vt Celsus tam subtiliter, eleganter et perspicue de Medicina scripserit, nisi rem vsu expertus esset, negant nonnulli, in his clarissimus van der Linden in praefatione ad auctorem nostrum, *Putasne, inquit, secreta atque arcana artis, hoc est intimas et occultas ad salutem cuiusque pertinentes rationes scire posse eum, qui in conclaue nunquam penetrauerit?* eius vanitas et natura rei, et exemplorum auctoritate satis intelligitur. Nam quamquam procul abest, vt negemus, vt potius contendamus quam maxime eas virtutes in Celfo esse conspicuas: cum tamen aliquis alieno vsu et experientia non minus, quam suo ipsius rem aliquam et cognoscere recte possit et aliis explicare, dummodo ingenium bonis litteris subactum attulerit; facile intelligitur, Cel-

Celsum, in quo subtilitatem differendi studiumque elegantiae sermonis acerrimum fuisse nemo non concedat, sine ulla sua experientia et usu, ex lectione praestantissimorum auctorum, omnia aequè potuisse discere, et ex praeceptis artis dicendi explanare aliis probabiliter. Hoc vero fieri posse, et saepenumero factum esse, exempla omnis aetatis declarant. Illustre exemplum sane existimandum est Luculli, qui, auctore Cicerone Acad. Quæst. IV, 1. ad *Mithridaticum bellum missus a Senatu, non modo opinionem victricium omnium, quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Muraena bellum in Ponte gerente, in Asiae pace consumserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo, (adde, et omnis liberalis percepta doctrina) non desideravit indocilem usum disciplinam. Itaque cum totum iter, et navigationem consumsisset partim in percunctando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis. Atque tamen tantus imperator in omni genere belli extitit, ut Mithridates, qui, auctore Cicerone, post Alexandrum rex maximus fuit, hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. Igitur Celsus idem fecit, quod quidam tactices professor, qui Annibalem atque alios praesentibus, quamquam nunquam hostem viderat, nec castra aciemque cognouerat, tamen tam subtiliter et eleganter de oppidis oppugnandis, castris ponendis, acieque instruenda differere visus est, ut, praeter Annibalem, satis probaretur omnibus. Quae Plinius de natura morborum et curatione, de medicamentorum compositione nonnullorum et usu tradidit, haud contem-*

mnenda ducuntur a rerum peritis, etiamsi nunquam medicinam facere aggressus est, sed omnia lectioni Medicorum, si de iudiciis quibusdam, quae proprie sunt philosophorum, recefferis, se debere ipse fatetur. Neque nostra aetas eiusmodi ingeniis caret, quae, ut ita dicam, alienum fundum satis feliciter ararunt. Quis enim est, qui Grotii ingenium diuinum doctrinaeque amplitudinem ignoret? Hic etiamsi summa reipublicae munera obibat: in omni tamen fere litterarum genere tantopere excelluit, ut nesciam, maior Theologus, an Iurisperitus, an Philosophus, an Poeta et Philologus fuerit. Ut alios taceamus quam plurimos, qui de disciplinis omnis generis, ad suam professionem non pertinentibus, egregie scripserunt.

At obiiciunt hic aduersarii, esse non vnum locum in libris Celsi, quo nostra refellatur opinio, veluti p. 200, l. 6. vbi Celsus fateatur, Asclepiadem multarum rerum, quas ipse (Celsus) *secutus sit*, esse auctorem bonum. Quod si aduersarii hinc ex verbo *sequi* effici volunt, a Celfo ipsos morbos esse curatos, magnopere falluntur. Nam *sequi aliquam rem* alio sensu dicitur apud scriptorem, qualis Celsus hic fuit, vbi significat, *rem praecipere, proponere ad usum medicorum*, alio sensu apud medicum, qui, interrogatus, quam ratione utatur in morbo aliquo sanando, respondet, *ego sequor rem v. c. quam praecepit Galenus*, h. e. *ego utor in sanando praeceptis Galeni*. Nec maiorem vim ad nostram rationem refutandam habent loca, vbi auctor ad usum prouocare videtur, ut p. 204, l. 20. cum contendit aduersus Asclepiadem, rationem Erasistrati, qui aduersus sanguinem ex faucibus interioribusque partibus procedentem, crura et femora brachiaque pluribus locis deliganda esse praeceperit, *saepe commode respondere, experimenta*

*menta testari: it. p. 374, l. 4. ubi dicit, Asclepiadem com-*  
*mune auxilium aduersus omnes aurium casus, et iam vsu*  
*comprobatum, composuisse. Verum enim vero primum*  
*non clarum hinc fit, de suo ipsius experimento se loqui,*  
*quia aequae aliena intelligi possunt, quae vel fama et ser-*  
*monem hominum acceperit, vel in libris auctorum tradita*  
*repperit. Deinde si vel maxime, quod vero ob con-*  
*stantiam Celsi in loquendo vix concedi potest, suam in-*  
*tellegerit experientiam: hinc tamen nil sequetur, nisi vt*  
*aut expertus sit quicquam, quod quilibet homo de ple-*  
*be cognoscere possit et saepe cognouerit, aut obseruaue-*  
*rit, quod a nullius philosophi cognitione sit alienum. At*  
*ex loco certe p. 420, l. 4. cum Celsus dicat, se tuberculis*  
*capitis adiacere quoque *σεατώματα* clarum fieri obiciunt,*  
*hominem medicinae vsum satis cognitum habuisse. Recte.*  
*Dummodo hinc non colligant, quod neutiquam sequi-*  
*tur. Nam primum hic locus non de inuentione noui*  
*nominis est accipiendus, sed de methodo, qua *σεατώματα*,*  
*quae ab alio loco proponantur, ipse retulerit ad capitis*  
*tubercula. At hoc verbum, dicunt, apud nullum ante*  
*Celsi aetatem reperitur auctorem. Recte, si hoc intelli-*  
*gitur de libris, qui ad tempora nostra peruenerunt, sed*  
*idem de Megetis, Erostrati, Asclepiadis et nonnullis Hip-*  
*pocratis libris affirmari non potest, alioqui sequeretur,*  
*quod minime volunt aduersarii, vt Celso quoque inuen-*  
*tio nominum *γαγγλιων* et *ἀδερωμάτων* esset tribuenda,*  
*quippe nec illa in libris Medicorum ante Galeni tempora*  
*extant. Deinde quid? si Celsus primus inuenerit? Num*  
*ita medicum an philosophum egit? Certe illud satis con-*  
*stat, qui non nisi Medicinam faciunt, morbos medica-*  
*mentis, non eloquentia se expellere, existimare. Quae*  
*obie-*

/salis

/saji

## XIV

obiectiones ex aliis locis, p. 435, l. 8. vbi in loco de pituita oculorum auctor ait, *animaduertimus quibusdam nunquam fcescere oculos, sed semper humore tenui madere*, et p. 446, l. 18. vbi, *ego*, inquit, *cognoui, qui succisa lingua, cum abunde super dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem consecutus est*, trahuntur, vix dignae sunt, quibus refellendis tempus consumatur. Alium locum p. 118, l. 22. attingere non alienum putamus, vnde iudicium quidem Celsi, cum Casaubono, colligimus, sed artis medicae professionem nullo modo. Hic enim Celsus, commemorata antiquorum Medicorum ratione, addit, *ego autem, medicamentorum dari potiones, et alium duci non nisi raro debere, concedo*. At ea, quae sequuntur, satis ostendunt, illum ita iudicare ob rationes aliunde cognitae, non ex vsu rerum, quem habuerit.

Reliquum est, vt obiectioni occurramus, quam vulgo sumunt ex epistolis, quae sub nomine Corn. Celsi libro Marcelli empirici de medicamentis praefiguntur; quarum prior ad Iulium Callistum data, si a nostro Celso est, plane nostram sententiam refellit. Verum genus dicendi tam diuersum deprehenditur a Celsi ratione, vt magis Scribonii Largi austeritate, quam Celsi nostri elegantia dignum esse videatur. Nam plane a Celsi modestia et consuetudine abhorret, si auctor iactat, *Ego certe aliquoties magnum scientiae consecutus sum titulum ex vsu prospere datorum medicamentorum*. Vt omittamus, quod auctor plus tribuit medicinae, quae medicamentis curat, quam a Celso factum esse constat, id quod vero Scribonio Largo, qui de medicamentis conscripsit, magis conuenit. Pro formula *quod etiam nunc plerique faciunt, nec dicam omnes*, Celsus dixisset, vel *plerique omnes, vel omnes*




omnes fere: pro, *detegere imprudentiam suam*, dixisset vel *prodere* vel aliter: pro *conditore nostrae professionis Celsus* solet dicere *auctor*: in loco, *medicina, nisi omni parte sua plene excubat in auxilia laborantium, non praestat, quam pollicetur hominibus misericordiam*, Celsi non sunt omni parte sua, *excubare in aliquid*, et *polliceri de re inanimata* abhorret a proprietate Celsi; *Languere pro aegrotare*, nunquam dicit Celsus; *Particula iurandi non medijsfidius* nunquam legitur [apud Celsum]; *medicinalia* verbum est barbarum; *consumare amicissimo affectu vota mea* est formula dicendi, quae posteriorum temporum redolet affectatam elegantiam; *incurrere pro occurrere* vix Celsi est putandum; ut alia taceamus, quae spuriam epistolam esse satis produnt.

At, dicit aliquis, quorsum haec omnia sunt disputata, annon ut laudes Celsi imminuerentur tironesque imprimis Medicinæ ab eius lectione auocarentur? Procul abest, ut Celsum TVVM, VIR EXPERIENTISSIME, vituperare et in contentum adducere audeam, cuius praestantia omnium virorum doctorum consensu dudum sit comprobata et commendata, ut potius ob laudes, quas supra scripsi, eius lectionem assiduam maximopere commendem omnibus. Verum exemplo Celsi ostendere volui, quanta esset philosophiae, eloquentiae, litterarumque Graecarum vis et praestantia. Quodsi enim Celsus, sine professione Medicinæ et vsu, ex sola Graecorum lectione, dialectices eloquentiaeque subsidijs adiutus, de vniuersa Medicina tam egregie, docte, eleganter scripserit, ut peritissimi quique artis salutaris Viri eum dignum existiment, qui legatur quam diligentissime: vix dici potest, quanta inhumanitatis, stultitiae, et fortasse etiam ignaviae accusandi esse videantur disciplina

XVI

plinarum *altiorum*, quas vocant, studiosi, qui humani-  
tatis studia tanquam vana contemnunt, et ludorum  
Magistris relinquenda esse censent. Quare TE, VIR  
DOCTISSIME, nunquam possumus satis laudare,  
qui semper cum studio artium, quae Medicum absol-  
vunt, disciplinam bonarum litterarum coniungendam  
esse existimasti. Nec dubitamus, quin illas veteres  
amicas etiam in novitate honoris, qui TVAE virtuti  
hodie est tributus, colas, et opibus, quas Galenus  
largiri dicitur, ornes. Vale. Scripsi Lipsiae d. XX.  
Martii MDCCCLXXII.








Ch. 965. 8<sup>o</sup>




Sb.

N.C.







6  
Ch 973

EPISTOLA  
AD  
VIRVM EXPERIENTISSIMVM  
ATQVE DOCTISSIMVM  
GOTTHELF LEBERECHE  
WOCKAZ

QVA  
SVMOS IN ARTE SALVTARI HONORES  
COLLEGIVM DISPVTATORIVM  
SVB PRAESIDIO  
VIRI CLARISSIMI  
IOANNIS CAROLI ZEVNE  
BONARVM ARTIVM MAGISTRI  
GRATVLATVR  
INTERPRETE  
MICHAELE CHRISTIANO IVSTO ESCHENBACH  
ARTIS MEDICAE CVLTORE

---

*De Celso non Medico Practico differitur.*

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

